

Wien, Österreichische Nationalbibliothek (ÖNB), Cod. 903

Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I. Wien 1799.

1095

I C O D I C E S

1096

Schmiede. Dolendum vero, non pauca illius loca humore quodam Codici illapso vitata jam non sine difficultate legi. Id, quod etiam praecedenti et sequenti Tractatui evenisse comperies.

V. fol. 177. p. 2. Συλλογή germ. de Matrimonio et Officiis Conjugum consistens in Evangelio de Nuptiis in *Cana*, ejus Expositione satis proluxa et Tractatu five *Lere dez elichen lebens*, cujus initium: *Uon einem freunde gotis bin ich gebeten etwaz von dem Elichen leben czu schreiben &c.* Regulas vocat, quas Marito et Uxori praescribit, quarum una: *Wil abir ein frauwe der schande nicht enachten, den so tun er ir die dritte zucht also, vnd teyle ir der scharpfen ruten vnd der berten knüttel so genuk mit, daz er sie überwinden moge vnd laz von irem mutwillen, so bleibt sy auch bey ernen.* Hoc pace dictum sit *Xantbiparum*.

VI. fol. 186. p. 2. Institutio german. de Peccatis capitalibus, eorum Filiabus et Remediis, de X. Praeceptis, de Sacramentis, V. Sensibus, Operibus Misericordiae, Beatitudinibus, Donis Spiritus S. omnia rudi stilo et calamo, atque in ordine ad faciendam Confessionem de Peccatis, unde tota etiam Institutio in ejus Formulam ita definit: *Ich beich got vnd myner frauw sand marien vnd allen gotes beyligen, daz ich sil gesundet han mit vnreynen gedancken mit bossem willen, mit boßer begyr, mit boßer gelust, mit bosser wor-*

ten, mit bosser werken. Inde ad particularia descenditur; sed extrema longae hujus accusationis e Codice deperiere.

CCCCLV.

Codex priore parte in conf. C. 50 nio Sec. IV. et V. posteriore Sec. VI. luculente, pulcreque exaratus 4. maj. parte quidem priore foliis 101. Papyri *Niloticae*, posteriore vero 82. membraneis constans, quem Vir nobilissimus, *Familiae Caput*, ad quam olim ex *Italia* adlatus hereditate transferat, Hero suo Augusto nuper obtulit; is vero in Bibliotheca sua Palatina condi jussit, e praecipuis, quibus quidem tempus edax pepercit, Antiquitatis literariae Monumentis est habendus.

Complectitur porro priore Parte S. *Hilarii Pictav.* Ep. anno 368. vivis exemti *Libros XII. de Trinitate*, ita, ut, quod inde superest, collatum cum Edit. *Maur. Paris. 1693. f. a Libri II. num. 7. col. 792. lin. 9. ad Libri VI. num. 50. col. 912. lin. 27.* pertingat, pluribus tamen etiam foliis intermediis per decursum dilapsis, aliis ipso aevo et usu vitatis et attritis. *Jos. Bened. Heyrenbachius* ab extincta S. J. inter Bibliothecae Palat. Custodes cooptatus, sed jam a. 1779. fato praemature eidem ereptus, Vir in eruendis et illustrandis *Germaniae*, praesertim qua *Austriaca* est, monumentis antiquis indefessus, et laboris literarii patientissimus, cujus praeter ea

1097

PATRISTIC I.

1098

ea, quae typis vulgare coeperat, lucubrationes *ms.* partim eliminatas, partim adfectas magno numero Bibliotheca servat, opportunitate capta Codicem hunc totum papyraceum ante annos bene multos incredibili adcuracione ad apicem ita tamen transcripserat, ut de suo ne verbum quidem adiceret. Atque istud *Απογραφήν* inter Lucubrationes memoratas diu ante ipsum *Αυτογραφήν* Bibliothecae illatum non modica me labo-

ris parte levavit, quod piis Amici Manibus gratus acceptum refero. Exaratus est igitur Codex totus *Quaternionibus* pagina cujusque Quaternionis ultima numerum sequentis ad oram inferam indicente; exaratus est lineis longis rarius numerum 30. paginatim excedentibus, exaratus est amplis marginibus in enotantium commodum, exaratus est caractere, quem vides:

igitur hic scripturae expetendur et pro
mendur est et deinceps praecceptorum
fide adque obrenovatione retinendur.

Liber recundur expl
INC LIB. TERTIUS
LEGENTI IN XPO VITA

Dulcius. aquini legebam.

Denis Codic. mss. theol. Bibl. Palat. Vol. II. P. I.

Et Clausula quidem haec habetur Codicis fol. 9. p. 2. Liber III. fol. 21. clauditur ita: *Liber tertius explic. Inc. liber quartus. Legenti in xpo vita. dulcius aquini legebam.* Liber IV. fol. 49. p. 2. ita: *Liber quartus explicit Incipit liber quintus.* Liber demum V. fol. 70.

p. 2. ita: *Liber quintus explicit Incipit liber Sextus.* Quod jam Textum ipsum adinet, praeter menda scriptoria, quae tamen a manu aequae vetusta passim correctae sunt, quantum ab Editis discedat, Initium L. VI. specimini fit:

Editio	Codex
N. 1. per plurimorum assensum.	plurium.
2. qua hoc Ecclesiae.	quia hoc.
perfectae in Deum.	profectae.
quo in laqueum.	in quo laqueo.
3. populis proxime lues.	populi.
tantum aut confidentium in	in tantum aut inconsiderantium in
chaos.	clobacas.
4. quo ait unum Deum et solum	quod ait solum Deum unum solum
infectum et solum sine	sine initio.
initio.	et contradicentibus haereticis sen-
et contradicentibus sensum.	sum.
5. ut Valentinus prolationem.	prolatione.
supercreatum in filium.	in filio.
6. a solo Patre substitit.	subsistit.
non factus cum Patre.	a Patre.
7. virus falsitatis introeat.	vires falsitatis introbeant.
quod filius sit.	quod filius Deus sit.
8. perfecta fidei hujus. &c.	perfectae. &c.

Unum insuper praeterire non debeo. Si *Barth. Germonius*, de quo egi in Libello vernaculo: *Kurze Erzählung der Streitigkeiten über die alten Urkunden, Francof. et Lips. 1785.* ab Amicis 8. edito, acutissimus quidem disceptator, sed veritate mihi non amicior Codicem hunc vidisset, fortasse non succlamasset *Alcuino* et *Hincmaro Felicem Urgellitanum* de corrupto jam Sec. VIII. in Codice *Aquisgranensi Hilarii* loco L. II. de *Trinit. n. 27.* edit. *Maur. col. 802.* in jus vocantibus. Quidquid enim sit de rescripta Codicis *Vatic.* de quo postea dicam, lectione, Noster illo multo antiquior *fol. 7. p. 2.* non ADORATVR, sed ADOPTATVR a prima ma-

nu 4. facile ante *Felicem* Seculis liquido exhibet, ut adeo *Felix* restitutor potius genuinae in Codice *Aquisgr.* lectionis, quam corruptor dici possit. Neque tamen istud ejus errori, Christum Dei filium tantum *adoptivum* esse, quidquam patrocinator. Nam quis latine doctus non videt, hoc *Hilarii* loco et sensu *Humanitatem adoptari* nihil aliud significare, quam *Humanitatem* adsumi, accipi, eligi, cooptari, id, quod et optimorum autorum usus docet, et fides orthodoxa confitetur. Adi, si videtur, de toto negotio *Germonium cit. de veterib. Haereticis ecclesiasticor. Codd. Corruptoribus. Paris. 1713. P. II. p. 381. 8. Petr. Constantium in Vindiciis Mss. Codd. Paris.*

Paris. 1707. c. 7. p. 63. item in *Vindic. confirmatis Paris. 1715. P. 3. p. 139. 8. et Scip. Maffejum in Praef. T. II. Opp. S. Hilarii Veronae 1730. f.* In Marginibus offendes sparsim Summaria, Observatiunculas, Monita caute legendi, quae citat *Arrianorum Hilarius*, Adplausus: *invicte, admirabiliter, optime &c.* Item nomina v. g. *fol. 51. p. 2. Dompnus hericus Biça^o aldemarius Biça^o*, alibi *Johannes Vrsavens.* quae variis aetatibus accefferunt, ut scripturae ratio, et vel ipsa docet Historia, quemadmodum in illa *fol. 49.* Nota: *Contra nestoriū et eutici* —. At vero, vel me tacente, praecipue te adverterit, Lector! repetitum in Subscriptionibus *Tē Dulcitius Aquini legebam.* *Aquinum* Colonia Romana in *Samnitium* finibus, Straboni *μεγαλη πολις*, Ciceroni *frequens Municipium*, Silio Ital. *ingens*, quae *Juvenalem* et *D. Thomam Theologum* progenuit, habuit igitur etiam aut civem, aut muneris, secessusve causa incolam *Dulcitium* aliquem, et quidem in *Seculi IV. et V.* confinio, ut character manus ejus docet, et Virum sacris studiis deditum, ut qui *Hilarium de Trinitate* legeret, et non uno loco, praecipue in principio eorum, quae supersunt, notaret. Quid jam? Ad *Augustini Opera*, et ejusmodi *Dulcitium* invenies. Erat is *Laurentii Primicerii Ecclesiae*, vel, ut variant Codices, *Notariorum Ecclesiae Romanae*, ad quem *Enchiridion de Fide, Spe et Caritate* dedit *Augustinus*, frater, Nota-

rius ipse, et *Tribunus*, atque circa an. 420. ab *Honorio Aug.* legatus in *Africam*, ut leges ejus in *Donatistas* latas ibidem exequeretur. An hic primum innotuerit *Hippo-nensi Praefuli*, non liquet. Certe hic illum *Eximium Dominum, Spectabilem Virum, Honorabilem et Dilectissimum Filium* compellat; habemus enim *Opp. Edit. Maur. T. II. col. 764. n. CCIV.* ejus ad *Dulcitium* Epistolam, habemus *T. IX. col. 635.* *Libros II. contra Gaudentium Donatistarum Ep.* rogatu *Dulcitii* conscriptos, denique *T. VI. col. 121.* *Librum de Octo Dulcitii Quaestionibus*, sive *Explicationes totidem difficultium S. Scripturae Locorum*, quas ille sibi ab *Augustino* expetierat, e qua re satis elucet, quam studiosus Religionis Christianae, verbique divini fuerit, ut adeo vix dubium superesse possit, eundem fuisse *Dulcitium Augustini* amicum, et *Aquini* Codicem nostrum legentem, quo quantum huic pretium accedat, in comperto est. Crescit vero pretium ex eo, quod nunc sequitur.

II. *fol. 97.* Tractatus ab eadem manu continuatus in Papyro, cujus prima et postrema folia ita exciderunt, ut non nisi *quinque* supersint, quorum singula paginatim **CONTRA ARRIANOS** superscribuntur. Consului, quae Codicis admittit aetas, *Fab. Mar. Victorini, Faustini Presb. et Phoebadii* contra *Arrianos* Scripta, nec quidquam in illis simile reperi. Reversus sum ad *Hilarii* Editionem *Paris.* et recentissimam *Veronen-*

ronensem a. 1730. non meliore fortuna. Itaque, licet in *Praef.* ad priorem *Coustantius* adserat, praeter *Galliae* etiam *Germaniae*, *Britanniae*, et *Italiae* Bibliothecas excussas fuisse, Fragmentum praesens *Hilarii ἀνεδότου* habeo; addit enim ipsemet Vir doctus: *Latere multa certissimum est.* Atque inter haec *Tractatus* epistolares esse, quos, dum Orientem exilium haberet, in Occidentem misit *Hilarius*, ipso teste utamur in ingressu *Libri de Synodo*, ubi se frequenter ad *Germaniae*, *Belgii* et *Galliae* *Episcopos* scripsisse ait. Accedat illi subpar *Hieronymus*, qui *L. de Vir. illustr.* c. 100. ejus *Epistolas ad Diversos* commemorat, quemque confertim *Honorius Augustod.* L. I. C. 101. *Tribemius* n. 70. *Caveus*, *Oudinus*, *la France litter.* T. I. P. I. p. 191. *Ceilier Hist. gen. des Aut. sacr.* T. I. P. I. p. 111. sequuntur. Neque haec solum *Testimonia*, verum ipsa non minus *Scriptio* indoles et ratio pro *Hilario* militant, cuius rei ut tamen etiam *Eruditis* arbitrium deferam, Fragmentum totum, quantum est, hic vulgare institui:

— tandem est, et cum nobis inde conuenerit, tunc recte de illa (Quaestione?) quae suscepta est, si quid inter nos discrepauerit, retractandum. Et uehementer constringendi sunt (*Arriani*) ne quando uelint de his, quae ad adsumptam substantiam pertinent, ei, quae illam adsumere est dignata, praescribere, quam diu constet, nos non de adsumpta, sed de adsumptrice sub-

stantia disputare. Hac itaque iustissima propositione praemissa et illorum consensu necessario suscepta magno compendio disputationis utimur, cum nequaquam nobis jam officere illa potuerint, quae probauerimus non ad diuinitatis sed ad humanitatis substantiam pertinere.

Post haec igitur interrogandi sunt, qui alteram patris, alteram filii substantiam esse contendunt, unumne, an duos deos esse credant. Si duos, gentilis est error. Si unum, rursus interrogandi sunt, utrumne deum habeant dei filium. Si negauerint, iudaei potius, quam christiani habendi sunt. Si uero confessi fuerint, aut eiusdem essentiae uel substantiae, uel quocumque modo melius dici potest, filium, cuius pater est, fatebuntur, ut constare eis secundum eandem substantiam deitatis unitas possit personarum distinctione seruata.

Aut nequaquam se unius dei probabunt esse cultores, si eum alterius substantiae adfirmare nitantur, quem nibilo minus deum esse fateantur. Quod si dixerint, se hoc modo unum deum credere, quo solum patrem summam diuinitatem habere desinant, filium uero non ita deum esse contendant, primum quaerendum ab his est, utrumne filium deum uerum esse credant, an abusive hoc eum existiment nuncupari. Si abusive, ergo deus non est, et, si deus non est, nec orandus omnino est, nec colendus; neque enim aut homines aut angeli adorandi sunt uel colendi, quamuis dei plerumque nuncupentur, ut ibi: Deus stetit in synagoga deorum,

et

et ibi: Quis similis tibi in diis Domine, quis similis tibi. Quia hoc nomen non tam naturae ueritate, quam honoris gratia consequuntur. Quod si hoc uel suspicari piaculum est, sine dubio confiteri necesse est, deum dei filium tam adorari debere, quam coli, et si tam adorandus est, quam colendus, deus uerus est, et qui deus uerus est, nihil minus potest habere, quam uerus.

Illud quoque considerandum est, quod gentilium impietas superstitiosa firmetur, si concedatur, unum deum colere eos, qui se non pares sed dispares habere fateantur, quandoquidem et illi errorem suum huiuscemodi stultitiae ualeant colore defendere, quibus quamuis tam multi dei sint quam diuersi, unum nihilo minus praestantiorum esse ceteris confitentur, nec idcirco unius dei cultores esse credendi sunt, cum constet, unumquemque tot deos habere, quot colit.

Illud praeterea, quod in scripturis sanctis continetur, quomodo intellegant, percontandi sunt: Audi israhel! Dominus deus tuus deus unus est, et: Non erunt tibi dii alii absque me. Quod si de solo patre dixerint sentiendum, id est, quod ipse dominus deus unus sit, et quod absque illo nequaquam deus alius sit habendus, interrogandi sunt, utrumne deum esse existiment dei filium. Quod si negauerint, a christianorum professione disciscant, aut si confessi fuerint, constringendi sunt, ut aut eiusdem, cuius pater est, substantiae filium esse consentiant, ne unitatem deitatis excedant,

Denis Codd. Theol. V. II. P. I.

neque absque deo alium, id est, absque dei substantia esse deum credant, aut se diuini praecepti prauaricatores esse cognoscant, si absque unius et merae diuinitatis deum alium esse contendant; ille (enim?) sine dubio absque deo, id est praeter deum, intelletur deus, qui praeter eiusdem putabitur esse naturam; nam qui unius eiusdemque essentiae adseritur, absque ipso, uel praeter ipsum esse omnino non creditur.

Illud quoque ab his sciscitandum est, quomodo dictum intellegant: Dominum deum tuum adorabis et illi soli seruias. Si, ut pater solus adoretur, et ipsi tantum absque filio seruiatur, ergo filius nec adorandus omnino est, nec colendus; aut si hoc ipsis etiam impium uidebitur, ut eum uel adorandum abnuant uel colendum, quem caelestia quoque adorare noscuntur, et cuius se seruos esse etiam apostoli gloriantur, et quisquis seruus est, absque dubitatione aliqua seruiendo seruus est, confiteri cogendi sunt, in una eademque substantia tam adorandum esse cum patre filium, quam colendum. Neque enim in nos retorquere iure poterunt, quod et nos quoque in colendo deo unitatis modum uideamur excedere, qui, etsi personarum distinctionem fatemur, substantiae tamen non abnuimus unitatem. Et si nos laboramus iudaeis atque gentilibus, uel aliis huiuscemodi impietate labentibus unum deum probare nos colere, qui, etsi personas distinguimus, unitatem tamen essentiae confitemur,

A a a a

mur,

mur, quid facient hii, qui alteram patris, alteram filii adserunt esse substantiam? Quomodo igitur probari poterit, unum esse, quod unum non est? Si uis probari, uidetur unum esse certe, quod unum est.

Illud insuper qualiter sentiant, perscrutandum est, quo continetur, dixisse deum: Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram. Certe quaecumque substantialiter esse intelleguntur, duo haec, nisi fallor, esse creduntur, creator scilicet et creatura, id est, factor atque factura, et ut euidentius loquar, omne, quod essentialiter est, aut deus est, aut quod a deo factum est. Tertium cessat. Nihil omnino secundum substantiam creaturae cum creatore, facturae cum factore commune est. Quod si ita est, ad quem dictum esse intellegimus: Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram? Quis igitur iste est, tam similis, tam cohaerens, tam unitus deo, et, ut ita dicam, alter ipse, uel si quid aliud proprius dici potest, qui praestantissimum dei opus cum deo pariter fecisse perhibetur, quo, ut ita dicam, consiliario deus utitur, quem uelut semet ipsum consulens adloquitur, qui ita esse par deo refertur, ut unam eandemque cum eo imaginem ac similitudinem habere monstretur? Angelus, archangelus, cherubin, seraphin, et si quid inter creaturas esse sublimius potest, nequaquam; quia, ut superius comprehendimus, multum quaelibet creatura a creatore diuersa est, nihilque ei cum auctore suo substantialiter potest esse commune.

Susplicari saltim scelestum est, creaturam aliquam esse, ad cuius imaginem et similitudinem ita homo factus esse referatur, ut dei, et quae cum deo, ad quam imago uel similitudo facta sit, quasi coequalis eandem habeat ueritatem, uel quae aliquid intellegatur creasse cum deo. Quod cum ita sit, procul dubio ille, quem creasse cum deo hominem constat, et cuius eadem substantiae ueritas inuenitur esse, quae dei est, non creatura esse credendus est, sed creator.

Hunc itaque sine cunctatione aliqua deum esse, id est dei filium, dicimus, cui soli competat, et ad quem sic coequalem communi auctoritate pater loquatur, et eadem facere posse, quae pater, et unam eandemque cum patre imaginem ac similitudinem possidere.

Quod si dixerint, eum, id est deum patrem, ad semet ipsum tunc pluraliter locutum fuisse, cum dixit: Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram, quo more sermocinari etiam homines solent, ut, cum soli loquantur, nunquam tamen loqui pluraliter adprobentur, respondendum est, hanc loquendi consuetudinem idcirco inter homines esse, quod sciant, se naturae suae multos habere consortes; neque enim tunc, cum hominum quispiam pluraliter loquitur, equi aut asini, aut cuiuslibet alterius naturae animalis, et hominis memor est. Ergo secundum ipsorum comparationem quia non conuenit pluraliter loqui nisi eum, qui (se) non solum in sua natura esse cognoscit, et deus, si pluraliter lo-

qui-

quitur, consortem naturae suae habere dinoscitur. Illud etiam addendum est, quod duobus praecipue modis homines hac fermocinandi consuetudine uti soleant, potestatis scilicet et humilitatis: potestatis, cum singuli aut imperatores, aut summi iudices, quorum una eademque potestas est, dicere solent: *Nostra pietas, nostra* —. Hic unum, plurave folia exciderunt; folium enim sequens incipit: et cunctorum elementorum creatorem esse non dubium est.

Illud insuper interrogandi sunt, utrumne deum patrem uerum patrem esse credant, an abusive hoc eum dici existiment. Si uerum patrem, uerum quoque filium, id est naturalem, eum habere manifestum est; nam qui fieri potest, ut absque uero filio uerus pater esse credatur? Aut si non uere, sed abusive hoc eum nuncupari contenderint, reuincendi sunt primo, quia usus omnis ex ueritate descendat, et quidquid ex ueritate descendit, ueritate posterius esse non dubium est, et dei paternitas posterior nulli est, quin immo cunctis anterior; dei igitur paternitas non est abusiva. Deinde apostoli testimonio utendum est ita de deo sentientis: Ex quo omnis paternitas in caelis et in terra nominatur, et nequaquam concedendum est, quod ipse abusive pater dicatur, ex quo potius huius uocabuli usus extiterit. Nam si, ut superius diximus, usus omnis ex ueritate est, uerus ergo ille pater, ex quo omnis paternae nuncupationis usus inuentus est, et si uerus pater est,

uerum filium eum habere certissimum est. Quomodo autem uerus, nisi naturalis, quomodo naturalis, nisi eiusdem substantiae; sicut ipse filius testatur et dicit: Qui me uidit, uidit et patrem. Videt enim quodammodo in una persona duas, qui eam uidere, id est, intellegere substantiam potest, quae una est in duabus.

Quod si dixerint: Quomodo deus pater, uel qualiter filium genuit? indisciplinatae ac temerariae curiositatis causa coarguendi sunt, quia tanti sacramenti audeant arcana discutere, et quibus non sufficiat scire, quod genuit, nisi ut ausi sint etiam, quemadmodum genuerit, perscrutari. Genuisse tantum patrem legimus; qualiter uel quomodo genuerit, omnino non legimus. Credamus ergo, quod legimus, et, quod non legimus, prorsus inquirere formidemus; scriptum est namque: Et in multis operibus ne sis curiosus. Si igitur in dei opere nostra modesta debet esse curiositas, quanto magis in generatione. Vide, quam aequanimiter ferre debeam — —.

Haecenus Fragmentum methodum congregandi cum *Arrianis* docens, in qua *Palaestra* cum primis versatum fuisse *Hilarium*, nemo nescit. Licet igitur antiquissimi Codices *Hilariani Vatican.* et *Colbertini* a *Mabillonio* L. V. de *Re Dipl.* p. 355. et *Constantio* §. II. Praefat. gen. p. V. prolata id eximium habeant, quod totum de *Trinitate* opus illis inest, in eo tamen concedunt *Caesareo* nostro, quod accessione nemini memorata *D. Praef.*

fulis Scripta cumulet, et illos aetate superet, quamvis enim *Vaticanum Mabillonius* fini Sec. IV. aut initio V. adfigere velle videatur, *Constantius* tamen diserte post illum adferit, Seculo VI. ineunte exaratum fuisse. Vide *Syllabum Editioni Hilarii* ab eo subjunctum col. 1401. Quid, quod *Germonius* supracit. P. II. c. 8. et 9. ne hoc quidem Seculo contentus Seculum adeo IX. audeat suspicari. Confer *Franc. Cancellarii L. I. de Secretariis Vet. Basilicae Vatic. Romae 1786. c. 30. §. 4. p. 901. 4.* Jam a Papyro ad Membranam.

III. *Fol.* Codicis 102. sequuntur *D. Pauli Epistolae*, quarum folia ab unitate rursus numerare institui. Scriptae sunt illae Sec. VI. caractere *Langobardico* luculento et elegante per duas columnas angustas ita, ut saepe duae voces unam expleant lineam; literis Initiorum totius paginae longitudinem emensis, ruditer efformatis et picturatis gaudent, Glossisque variis cum *συνχρησμοις*, tum tardius adjectis minusculis tam inter lineas, quam per margines pollent, unde *Glossarum interlinearium*, Commentarii vicem subeuntium, vetustus usus liquet. Porro, ut ad singulas advertam, dilapsis jam olim Membranis *Epistola ad Rom.* tota unacum initio *I. ad Corinth.* ita excidit, ut nunc principium sit ab his C. XIV. v. 2. verbis: *Nemo enim audit. Spiritu autem loquitur mysteria &c.* Ad calcem: *Scripta de philippis. Uersus DCCC. LXX. Explic. ep. ad corinthios prima.* Et continuo: *Incip. prolo-*

gus In epistola secunda ad corinthios. Post actam penitentiam consolatoriam scribit eis a troade & collaudans eos hortatur ad meliora. Item: Postquam cognouit eos penitentiam egisse de suis erroribus. scripsit eis a troade hanc per titum epistolam laudatoriam & consolatoriam. Epistola II. ad Corinth. Ut semel dicam: Tituli ejusmodi literis *Romanis* minusculis exarati sunt; ipsa vero Argumenta *Langobardicis* pariter minutis, atque ut Librarius ab integra nova Pagina sequentem Epistolam ordiri posset, et Titulos et Argumenta semper illico ad calcem praecedentis adscripsit. *Fol.* igitur 7. sequitur *Ad Corinthios II.* Ad cujus calcem: *scripta de macedonia. Uers. DLX.* Et mox, quae sequentem spectant Epistolam: *Appellati sunt gallogreci id est galli mixti grecis. nunc autem galathae a candore corporis. nam grece lac galathon dicitur. Inde laeueus circulus. grece galaxias dicitur.* Argumentum alterum non adscribo; est enim idem, quod in Bibliis glossatis: *Galatae sunt Graeci &c. Fol. 23. p. 2. Ad Galatas.* Ad calcem: *Explic. epistola ad galatas. Incip. prolog. ad ephesios. Ephesus est Ciuitas Asiae & graeciae & interpretatur uoluntas mea.* Tum Argumentum e Bibliis glossat. *Ephesii sunt asiani &c.* et ridicule: *et est pene omnibus epistolis difficilior quia sicut cor in medio uentris. ita ista in medio corpore epistolarum consistit. Fol. 31. Ad Ephesios.* Ad calcem de ea nihil, sed continuo Argumentum Epistolae ad *Phi-*

Philipp. ut in Bibliis glossat. *Philippenses sunt macedones &c.* et dein: *Scripta de urbe roma. Uersus CCC. XII.* *Philippenses sunt macedones. id est. greci. greca enim a diuersis regibus diuersa nomina sortita est. Vocatur enim macedonia a macedone rege. Emathia ab ematho. Thessalia a thessalo. generaliter omnis terra grecorum greca uocatur a greco rege. ut seruius dicit. Fol. 38. p. 2. Ad Philippenses.* Ad calcem statim Argumentum ex Bibl. gloss. *Colossenses & hi sunt &c.* cui subiectum: *Scripta de urbe roma* (non ab *Epheso*, ut habet Arg.) *Uersus CCC. L. Fol. 43. p. 2. Ad Colossenses.* Ad calcem: *Scripta de urbe roma. Uersus CCVIII.* et mox Argumentum I. *ad Thessal.* sed corruptius quam in Bibliis glossat. *Fol. 48. Ad Thessalonicenses I.* cui praescripta Glossa: *Macedonia prouincia est grecorum. In qua est Ciuitas metropolis thessalonica.* Ad calcem: *scripta de athenis. Uersus CLXIII.* tum Argumentum II. *ad Thessal.* e Bibl. gloss. demum Sec. X. adscriptum: *Uirum statura exiguum. caluo capite. uastum cruribus. nasutum. supercilia iuncta. plenum gratiae.* An haec D. Pauli Icon? Accedit dubium S. Augustini, an *cupi*, *sopi*, *fugi*, an *cupiri*, *sopiri*, *fugiri* dicendum, an *cupitum*, *sopitum*, *fugitum* pronuntiandum syllaba secunda longa, vel breui, ex ejus Epist. ad *Nebrium* Edit. *Maur.*

Opp. T. II. n. III. col. 6. Fol. 52. p. 2. Ad Thessalonicenses II. Ad ejus calcem nihil nisi Argumentum e Bibl. gloss. in I. *ad Timotheum* eo discrimine, quod non *Laodicia*, sed a *Nicopoli* datam ait. *Fol. 55. Ad Timotheum I.* Ad calcem retractat *Nicopolim.* *Scripta de laodocia. Uersus CC. XXX.* addito e Bibl. gloss. Argumento *Epistolae ad Eundem II.* Hujus uero Principium e Codice excidit ita, ut nunc *fol. 61.* ordiatur ab iis C. I. v. 16. uerbis *honestiori domum. quia sepe me refrigerauit &c.* Ad calcem: *Scripta de urbe roma. Uersus CLXXII.* cum Argumento Bibl. gloss. *ad Titum. Fol. 64. p. 2. Ad Titum.* Ad cujus calcem: *Scripta de nicopoli. Uersus CLXVII.* cum Argumento Ep. *ad Philemonem*, ut in Bibl. gloss. *Fol. 68. Ad Philemonem.* Ad cujus calcem: *Scripta de urbe roma. Uersus XXXIII.* et ab alia aequae tamen uetusta manu Argumentum Ep. *ad Hebraeos*, ut habetur in Bibl. glossat. *Fol. 69. p. 2. Ad Hebraeos*, cujus tamen posteriora ab his C. XII. v. 22. uerbis: *et Ierusalem caelestem et mul — — exciderunt.* Jam ut de Textus indole Lectorum doceam, mediam quasi uiam is tenet inter uersionem antiquam, et Vulgatam novam, quod collatione cum *Petri Sabaterii Bibliis T. III. Remis 1743. f. instituta*, e C. I. *Epistolae II. ad Corinth.* speciminis ergo palam faciam:

1115

C O D I C E S

1116

Codex	Editio T. III. p. 727.
V. 1. <i>Christi Jesu.</i>	Utraque <i>Jesu Christi.</i>
3. <i>omnis consolationis</i>	Cum Antiqua.
4. <i>possimus et ipsi</i>	Cum Nova.
6. ita habet: <i>Siue autem tribulamur pro uestra exhortatione et salute. siue exhortamur</i> (glossa imposita: <i>i. consolamur</i>) <i>pro uestra exhortatione. que operatur in tolerantia earum passionum, quas et patimur, et spes nostra firma pro uobis.</i> Igitur aliquid <i>Versionis</i> ant. aliquid nov. aliquid neutrius.	
9. <i>confidentes.</i>	Utraque <i>fidentes.</i> Sed Hier. <i>confid.</i>
11. <i>multarum error Libr. pro multor.</i>	Ut Nova.
12. <i>in simplicitate et sinceritate. in mundo subpletum hoc.</i>	Cum Ant.
13. <i>cognoscitis.</i>	Utraque <i>cognoscetis.</i>
15. <i>Uolui prius.</i>	Cum Nova.
16. <i>a vobis deduci.</i>	Cum Nova.
18. <i>qui fit.</i>	Cum Ant.
<i>in illo Est.</i>	Cum Nova.
19. <i>Silbanum.</i>	Cum Ant.
22. <i>et qui signauit.</i>	Cum Ant.

Hic porro Textus in *Περικοπας* diuisus est, quarum Numeri romani minio in marginibus notantur. Glossae antiquiores sunt omnibus, quas novimus, Textuique *συγγεγονοι*, nisi quod in *Epistola I. ad Thessal. fol. 48 — 52.* manus Sec. IX. aut X. et vestigia Glossae adparent, quam in Bibliis glossat. hodie legimus.

Ut nihil eorum omitam, quae rarissimum hoc *Κειμηλιον* comitantur, qui illud rursus inter tabulas ligneas crassas Sec. XIV. compegit, tabulas has interne membranis vestivit Poema quoddam Equestre lingua *Gallica* continentibus

eleganter exaratis. Quoniam vero earum extrema panho holoserico nigricante ita cooperuit, ut Versuum partim initia, partim fines legi nequeant, fatis habeo obseruasse: comparere in iis nomina *Marcien le persan, Gadifer, Porrus, Phezonas*, sermonemque non semel esse de *Pavonibus*, quae an ad Fabulam *Des Voeux du Paon &c.* citatam in *Curnii de Sainte — Palaye Memoires sur l'ancienne Chevalerie T. I. Paris. 1781. p. 242. 8.* pertineant, ignoro, meque in hoc Scriptorum genere parum versatum esse, non gravitate confiteor.